

O b s e r v a t i o n e s

i n

P. LEANDRI DE SACRAMENTO

N o v a g e n e r a p l a n t a r u m.

A u t h o r e

F R A N C I S C O D E P A U L A D E S C H R A N K.

Continet haec dissertatio quinque priora genera ex decem a Viro Doctissimo egregie descriptis. Reliqua alii horum Actorum Tomo servamus, ne praesentem iconismis nimis gravemus. His descriptionibus adjicit facile ultra sesqui-centuriam seminum, magnam partem rarissimorum; quibusdam observationes addidit, quas, antequam ulterius progrediar, a me recenseri non ingratum erit.

C ALLICOCCA *Poia*. Emetica.CARYOCCAR (*Peckea*) *tuberosum*. Esculentum, Sapore Amygdalae. Arbor magna, atque aspectu grato.DOLICHIOS *bovinus*. Nomen triviale Brasilum est, derivatum a *Bo*-*by*, quod venenum significat. Vulgo tamen dicuntur plantae venenatae *Timbò*.ELEPHANTOPUS *spicatus*. Planta febrifuga.KLEINIA *Porophyllum* Planta tinctoria, Indicum praebens.

(Planta haec annua est, et in area sub dio in horto Landishutano vitae suae periodum quotannis absolvit; Monachii ad hoc usque tempus ob diurniores hyemes in olla culta est. Quum Pigmenti indici, quod ex Isatide tinctoria obtinetur, duplum ejus quantitatis requiratur, quae ex Indigofera Anil vcl ex Indigofera tinctoria obtinetur, et ob eam rem posteriore inferius sit, inquirendum fortasse, an Porophyllum votis omnibus satisfaciat.)

VIOЛАE species adhuc indeterminata, quae in Brasilia ob vires catharticas nota est.

(Emeticas esse Violarum radices in Europa notum est, et erat, quando Ipecacuanham inter Violas quaerebamus. Addit tamen Vir doctissimus, minus tutum remedium esse.)

Inter alios fructus, quos illi debemus, est Lecythidi Ollariae simillimus, sed ab hoc certe toto genere diversus. Formam habet vasculi majoris ex eorum genere, in quo, qui Tabaci fumo delectantur, hanc plantam concisam accendere solent, pedunculo non male fistulam suctoriā referente. Thecam hunc fructum adpellare licet, eo quod Thecis Muscorum frondosorum longe sit simillimus, aequa ac illae operculo et columnella instructus, hoc solo discrimine, quod haec columnella non fundo thecae adnata sit, sed operculo, cum illa secedat et corpus perpetuum constituat; deinde recessus longitudinales tres habeat, qui quasi totidem loculamenta formant, in quibus semina plane eodem modo situ ad horizontem perpendiculari invicem tegunt, uti in aquilegia staminum filamenta. Semina ipsa oblongo-ovata sunt, compressissima, ut primo intuitu inania crederes, nisi difracta, quod res est, docerent; praeterea tota sua peripheria lato margine membranaceo cinguntur. Hac Columnella et his certe Seminibus a Lecythide Planta haec, cuius fructum describo toto genere discrepat.

Se-

Sevi haec semina et spero fore, ut germinent, et arborem fruticemve producant; ob fructus cum Ollaria similitudinem *Lecythopsin* voco, characteremque genericum, qui illam ab omnibus notis plantis distinguat, exhibeo sequentem:

L e c y t h o p s i s.

FRUCTUS *Theca* evalvis, operculata, Columnella operculo (umbonato) adnata, basi tandem libera, locula-
menta tria constitente, polysperma. *Semina* per-
pendicularia, compressa, undique membranaceo-mar-
ginata.

An haec semina basi thecae, an columnellae funiculis suis umbilicalibus inserta sint, videre non potui, quod jam ex capsula excederint; ego basi inserta suspicor. Nomen triviale ob fructus for-
mam poterit esse: *Fumatoria*.

Alium fructum inter missa semina invenio, plane singularem. *Solani* dicitur esse, et additum est nomen aliud, nescio, an triviale; nam in itinere detritum est. Magnitudo fructus et forma Fruc-
tum pyri baccatae; omnino globosus, et ut nunc plane sic-
cus evasit, fuscus et ligneae consistentiae est; demta portione, quae mihi aditum ad interiora aperiret, intus omnia sicca, sed materiem raram inveni, seminibus foetam omnino solanaceis. Quum flos hu-
jus generis plane sit ejusmodi, ut error difficilis sit, de genere non dubito; speciem opinor *S. Xylorrhagodem* ob ligneam baccam dici posse; Character specificus est:

SOLANUM xylorrhagodes bacca sicca, sublignosa.

His praemissis quasdam in Reverendissimi Leandri disserta-
tionem observationes adjungo.

Suo-

Suorum generum diffusos characteres, quos etiam naturales dicunt, exhibere contentus essentiales non addidit, quod hi facile suppleri possint. Quum autem, meo quidem judicio, essentiales characteres magnum in re botanica usum praestent, hos praesenti opella supplere constitui, additis etiam pro more nominibus trivialibus.

I.

LANGSDORFIA
Dioecia Pentandria.

♂. *Calyx corollaque libera. Cal. minimus, 5-partitus. Cor. 5-petala. Pistillum abortivum.*

♀ *Calyx corollaque ut in ♂. Stamina nulla. Ovarium unicum. Stigma sessile. Fructus Capsula bivalvis, monosperma.*

instrumentaria. L. ♂

II.

SPIXIA
Polygamia Dioecia.

♂ et ♀. *Involucrum diphyllum, Pistilla 4, et inter haec Floculos mares tres continens, quovis suo Perianthio instructo, Corolla nulla; Stamina centralia 4, lateralia 2.*

♀. *Involucrum ante anthesin clausum, dein bipartitum. Pistilla quatuor, absque Calyce et Corolla. Fructus Capsula trilocularis: loculis monospermis.*

heteranthera S. ♂

Con-

Constitui quidem etiam ego genus, quod Cl. Spixio dedicavi; verum genus Leandrinum antiquius meo est; mutandum ergo nomen meae *Spixiae violaceae* in CABRALIAM violaceam, quod ego illi nomen impono in memoriam *Alvari Cabralis*, qui primus Brasiliam detexit, reique herbariac cultoribus hunc Paradisum, qui tamen non sine serpente est, aperuit, et illis haec otia fecit.

III.

MARTIA.

Diandria Monogynia.

Perigonium calycinum, bilabiatum, $\frac{2}{3}$. *Stamina* duo fertilia, duo abortiva minima. *Fructus Legumen*. *Semina* viscosa.

physalodes M. 4.

Constituit etiam Celeber. Sprengelius genus plantarum, quod Martiam vocavit; ego reduci ex acrumnosissima peregrinatione Viro amicissimo optionem relinquendam judico.

IV.

AUGUSTA.

Syngenesia polygamia aequalis.

Flores discoidei. *Cal. cylindricus*, imbricatus. *Recept.* nudum. *Fosculorum laciniac revolutae*. *Antherae* biaris-tatae. *Pappus simplex*, sessilis, corollulam aquans.

Trivialia nomina specierum ad hunc diem cognitarum jam in dissertatione praecedente ab Auctore ipso exhibita sunt.

Laciniac flosculorum revolutac in hoc certe genere singulariem characterem largiuntur, quum non quomodoconque, sed in plures
an-

anfractus revolvantur. A. *grandiflora*, dum floret, aequē elegans planta est, ac Eugenia Jambos.

Nomen generis ex Botanicorum more solet a nomine potius Familiae Viri, cui dedicatum est, derivari, quod hic SANHILARIA esse posset, quemadmodum, dum Fratres de Ste. Marthe, quum latine scriberent, sc *Sammarthanos* dixerunt, et Abbas de S. Cyr apud scriptores latinos passim Abbas *Sancyranus* audit.

V.

RADDISIA.

Triandria Monogynia.

Flores completi. *Cal.* Corollaque libera. *Cal.* 5-phyllus. *Cor.* rotata, 5-fida. *Nectarium* Annulus extra stamina ovarium cingens. *Capsula* trilocularis: loculis polyspermis.

arborea R. †.

Obs. Ego in misso specimine stigma orbiculare videre mihi videor.


*

Quum Vir Clarissimus omnium harum, et quae sequentur, stirpium semina satis copiosa miserit, quae in horto accurate colentur, spes est fore, ut hac plantae posteris observatoribus Spieilegium non contemnendum suppeditent; certe icones elegantiores erit occasio conficiendi. Quas huic dissertationi adjiciendas curavi, methodo Plumeriana fieri feci, quae solas partium peripherias, et principaliores venas exhibeat; neque enim fere quid aliud in plantis pro herbario praeparatis oculus distincte conspicit.



Lungsdorfia (masc.)


cum flor: et fruct:
Plant. foem.




Martia

Denkchr. d. d. W.
Abh. Landt. do Socram.







fl mas. feu hermaphile.

• *Spixia*. pl. foem.




Spixia pl. secund. cum fruct.

Denkchriften d. Ak. W.
Abh. des Leandro die
Sacramento



1




Augusta parviflora



Augusta grandiflora

Dentochre. d. C. d. W. Abb. d.
Leandro da Sacramento.



Raddisia.

Denkblatt d. Ad. W. Band VII
Abh. d. Landesbau-Sacramento.

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Denkschriften der Akademie der Wissenschaften München](#)

Jahr/Year: 1819

Band/Volume: [07](#)

Autor(en)/Author(s): Schrank (Schranck) Franz de Paula von

Artikel/Article: [Observationes in P. L E A N D R I DE SACRAMENTO Nova genera plantarum 239-244](#)